Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

mirabilia eius. Et cum hec dixisset: ab aspectu eorum ablatus est: et ultra eum videre non potuerunt. Tunc prostrati per horas tres in faciem benedixerunt deum: et exurgentes narraverunt omnia mirabilia eius.

Capitulum .xiii.

Aperiens autem tobyas senior os suum: benedixit dominum et dixit. Magnus es domine in eternum. et in omnia secula regnum tuum: quoniam tu flagellas et salvas. deducis ad inferos et reducis: et non est qui effugiat manum tuam. Confitemini domino filii israel: et in conspectu gentium laudate eum: quoniam ideo dispersit vos inter gentes que ignorant eum: ut vos enarretis mirabilia eius. et faciatis scire eos. quia non est alius deus omnipotens preter eum. Ipse castigavit nos propter iniquitates nostras: et ipse salvabit nos propter misericordiam suam. Aspicite ergo que fecit nobiscum: et cum timore et tremore confitemini illi: regemque seculorum exaltate in operibus vestris. Ego autem in terra captivitatis mee confitebor illi: quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem. Convertimini itaque peccatores. et facite iustitiam coram deo: credentes quod faciat nobiscum misericordiam suam. Ego autem et anima mea in eo letabimur. Benedicite dominum omnes electi eius: agite dies letitie. et confitemini illi. Ierusalem civitas dei castigavit te dominus in operibus manuum tuarum. Confitere domino in bonis tuis. et benedic deum seculorum: ut reedificet in te tabernaculum suum: et revocet ad te omnes captivos: et gaudeas in omnia secula seculorum. Luce splendida fulgebis: et omnes fines terre adorabunt te. Nationes ex longinquo venient ad te. et munera deferentes adorabunt dominum in te: et terram tuam in sanctificatione habebunt. Nomen enim magnum invocabunt in te. Maledicti erunt qui contempserint te: et condempnati erunt qui blasphemaverint te: benedicti erunt qui edificaverint te. Tu autem letaberis in filiis tuis: quoniam omnes benedicentur. et congregabuntur ad dominum. Beati omnes qui diligunt te: et qui gaudent super pace tua. Anima mea benedic dominum: quoniam liberavit ierusalem civitatem suam a cunctis tribulationibus eius dominus deus noster. Beatus ero si fuerint reliquie seminis mei ad videndam claritatem ierusalem. Porte ierusalem ex saphyro et smaragdo edificabuntur: et ex lapide precioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido et mundo omnes platee eius sternentur: et per vicos eius alleluia cantabitur. Benedictus dominus qui exaltavit eam: ut sit regnum eius in secula seculorum super eam amen.

Capitulum .xiiii.

Et consummati sunt sermones tobye. Et postquam illuminatus est tobias vixit annis xlii. et vidit filios nepotum suorum. Completis itaque annis c. xii. sepultus est honorifice in ninive. Quinquaginta namque sex annorum lumen oculorum amisit: sexagenarius vero recepit. Reliquum vero vite sue in gaudio fuit: et cum bono profectu timoris dei perrexit in pace. In hora autem mortis sue vocavit ad se tobyam filium suum. et vii. iuvenes filios eius nepotes suos: dixitque eis. Prope erit interitus ninive. Non enim excidit verbum domini: et fratres nostri qui dispersi sunt a terra israel revertentur ad eam. Omnis autem terra eius deserta replebitur. et domus dei que in ea incensa est iterum reedificabitur: ibique revertentur omnes timentes deum. et relinquent gentes ydola sua. et venient in ierusalem. et inhabitabunt eam.